



EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

SIGNAT. c1616CCXXIII.

11-17

+ 2. Guden de eodem. Vit. 1110.

+ Preside Andrea Senario. Vit. 1680.

* Letz. let. Christoph Salk Hung.

7. F. M. Sebar kirchmeyer de Flamanec curus Elis
ex 2. Reg. II. Vit. 1687.

+ Peter car Jo Christoph Wichmaushausen.

+ ex P. LXXIII. 25. 26
Fra P. XCIX. 6.

* ex Ecclesiastica III. 1-7.
Vit. 1683.

einzelne vorzettel 17. III. 1915.

F. 1. 11.
3 *
4 *
5.
6.
7 *
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.

Q. D. B. V. *16* *67* 2. b.

**SALOMONEM
A SCEPTICISMO
VINDICATVM,**

AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
FRIDERICI AVGVSTI,

SERENISSIMI PRINCIPIS REGII SAX. HERED.

DISSERTATIONE POSTERIORE

PRAESES

M. IO. CONRAD BOECKMANN,
MAGDEBVRGENSIS,

ET

RESPONDENS

IOANNES PETRVS VOGT,
HILDBVRGHVSA-FRANCVS,

D. XII. APRIL. M D C C X.

H. L. Q. C.

AD BENEVOLAM CENSVRAM OFFERVNT.

VITTEMBERGAE,

LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

2
SATOMONEM
A SCPTICISMO
VINDICATA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
FRIDERICI AUGUSTI
DISESSERTATIONE POSTERORE

M. JO. CONRAD BORTSMANN
MAGISTRI

JOHANNES TILLS

IN ABBATIA
SICUT CHRISTIANI GERDNER



§. I.

Ioannes de Pineda, Hispanus, olim scripsit, *Salomoni* concessam fuisse Encyclopaediam omnium artium, rerumque diuinarum et humanarum; dixitque, Regem hunc fuisse loquendi et scribendi inuentorem et artificem, eloquentiae uirtute admirabilem, in Poesi et Musica clarissimum, in Dialecticis subtilissimum, obscurissimorum aenigmatum inuentorem et expositorem certissimum, Historiae peritissimum, Astronomum summum, Geometram et Arithmeticum praestantissimum, in Cosmographia, Hydrographia et Architectura absolutissimum, Physiologum summum, Historiae naturalis scriptorem et scrutatorem diligentissimum, ciuilibus doctrinae consultissimum, Oeconomiae atque Ethicae praeceptorum sapientissimum, Theologum naturalem et supernaturalem summum, Medicinae Principem, et denique Magiae naturalis scientissimum. Veruntamen singularis, et huc dum prudentiorum nulli, quod ego sciam, probata est sententia, de *Salomone* nostro quam Doctor ille alioquin non incelebris tulit. Proinde bene meminisse, qui absurditatis eam insinulat, ipsumque Nobilem ineptire quodammodo publice fatentur.

Commentar.
de Reb. Sa-
lom. Lib. III.

Vid. NIC.
MOELLE-
RVS dissp.
de prisca Sa-
lom. Sap.
Celeb. D. I.
F. BVD.
DEVS
Introd. ad
Hist. Phil.
Ebr. §. XIV,
p. 40. 41.
Cl. D. M.
REINH.
HENR.
ROLLIUS
dissertat. de
Causs. Philos.
§. 4. pag. 7.

§. II.

At uero huic Theologo *ἐκ διαμέτρως* aduersatur *Observator Halensis*, et, ubi ille in excessu peccauit, hic certe in defectu peccare omnibus annititur uiribus. Non autem putari debet, Autorem hunc primum esse, qui

A 2

Salo-

Opp. Tom. I. *Salomonem*, sapientissimum Regem, Scepticifimi infimulat. Nimirum haud quaquam iam ante Eum *Petrus Gassendus*, Epicureae Philosophiae Restaurator fo-
 lib. Prooem. mulat. Nimirum haud quaquam iam ante Eum *Petrus Gassendus*, Epicureae Philosophiae Restaurator fo-
 de Philof. u- trus *Gassendus*, Epicureae Philosophiae Restaurator fo-
 niverf. cap. lertissimus, immemor eorum, quae in eius laudem di-
 III, p. 6. etc. xerat, asserere dubitavit, Scepticum fuisse *Salomonem*.
 Opp. Tom. Nec prorsus ignoramus, *Observatorem* eius quandoque
 III, lib. II. uestigiis insistere; at uel hac de causa illum ipsum hac
 Exercitat. uice non moramur, ab aliis eum quod abunde satis
 Parad. ad ver- notatum esse cognouimus. Nunc quidem id agemus
 fus Aristot. ut cum rationes producamus, quae *Salomonem* a
 Exerc. VI, Scepticifimi crimine alienissimum esse ostendunt, tum
 p. 204. *Observatoris* argumentis, quae pro stabilienda Is sua
 Vid. Summe hypothesis collegit, obuiam eamus.
 Rever. DD. ENGEL-
 KENIVS
 de Scept.
 Ort. et Pro-
 gr. Sect. I.

§. III.

Quod autem *Salomo* Scepticifimi iure infimulan-
 dus non sit, causas nec leues, nec exiguas habemus.
 Hoc tamen a nobis non requiretur, ut omnes recen-
 seamus, atque in medium adducamus, siquidem, si id
 agere uellemus, in iustum rationum in contrarium al-
 latarum examen descendendi nobis non daretur spa-
 tium. Igitur potiores atque praecipuas adferemus,
 et contra *Observatorem* urgebimus. Omnium autem pri-
 mum sciendum est, nec uolam nec uestigium Scepti-
 cifimi *Salomoni* nostro imputati in Scriptura diuiniore
 proflare. Equidem *Observatoris* iudicio non desunt
 loci, ex quibus probari possit, *Salomonem* fuisse
 Scepticum. Cum primis ad duo Sacrarum, sese Li-
 terarum testimonia recipit, atque iisdem *βέβαιον* suam
 confirmare conatur. At quo iure Auctor eo confu-
 gere possit, ex infra ad haec dicta dicendis constabit.

Tom. VIII.
 Obf. XIII.
 §. IX, p. 342,
 343.

§. IV.

§. IV.

Contra non unum nouimus esse locum, quo *Salomonis* sapientia mirum in modum celebratur. Praeter caeteros autem maxime hic nobis illustris uideatur, cuius hanc in sententiam uerba fluunt: Praeter ea indidit Deus sapientiam Schelomoni, et intelligentiae multum admodum: et amplitudinem animi, secundum amplitudinem arenae, quae est in litore maris. Erat enim sapientia Schelomonis maior, quam sapientia omnium Orientalium et quam omnis sapientia Aegyptiorum. Sapientior etiam fuit omnibus hominibus, Ethane Ezrachaeo, et Hemane, et Calcole, et Dardaho, Filiis Macholis: peruasitque nomen eius in omnes gentes circumquaque. Et elocutus est ter mille sententias; fueruntque Cantica eius quinque supra mille. Eloquutus etiam est de plantis, a Cedro, quae est in Libano usque ad hyssopum, quae prodit e pariete: denique eloquutus est de iumentis, et de uolucris, et de reptilibus, et de piscibus. Quamobrem homines ueniebant ex omnibus populis ad audiendam sapientiam Schelomonis; ab omnibus regibus terrae, qui audierant de sapientia eius. Ex quo, si recte quaeuis considerentur, nec malitiose quis Textum sacrum corrumpere uelit, satis superque cognoscitur, maximam *Salomonis* fuisse sapientiam, illumque ipsum, quod *Observator* somniat, Scepticum fuisse neutiquam.

§. V.

Accedit, ut alia argumenta omittamus, quod prudentis hominis aut uere sapientis officio repugnet,

c. 1. §. XII,
P. 347.

Scepticismum profiteri. Id quidem *Observator* sibi persuadere non potest; res tamen ipsa uera est atque clara, quandoquidem Philosophia Sceptica nil nisi indocta rerum omnium sit ignorantia. Ea, quae in hanc rem adferuntur, tanta non sunt, quanta ab ipso Auctore praedicantur. Tantum abest, ut assertum nostrum cum Historia Philosophica pugnet: Ut potius existimen, prorsus contrarium ex eadem *προς ὅμωα* posse demonstrari, inque priore dissertatione demonstratum esse. Iam uero opus non erit, ut heic de F. M. *Vayerio* quid sentiam, repetam, uel, quod *Observator* facit, in eius solius uerba iurem. Nec ipse *LAERTIUS*, quod omnino notandum est, affirmat, Septem Graeciae sapientes Scepticos fuisse, sed, ac si ex aliorum sententia in hoc genere uersati fuissent, tantum refert.

Vit. Pyrrh.
lib. IX, segm.
7^a, p. m. 585.

§. VI.

§. V, p. 334,
335.

Probaturus *Observator*, *Salomonem* fuisse Scepticum, dicit, eius sapientiam toto coelo a nostra, qua mundus hodie deciperetur, esse diuersam, urgetque initio hanc diuersitatem *ratione causae efficientis*, siquidem eius Philosophia non a lumine naturae, nec ab institutione, nec ab exercitatione manasset, sed a lumine supernaturali et diuino duxisset originem. Ad haec autem respondemus, causam Philosophiae efficientem principalem aliam esse uniuersalem, aliam particularem, monemusque, ratione illius nostram a *Salomona* non differre. Adeo negari nequit, Eundem *DEVM*, qui ipsi sapientiam dedit, nobis etiam concessisse. Agnouerunt rei ueritatem suo modo gentiles saniores, *PLATO* et *CICERO* dum Philosophiam donum et

L.V. de Rep.
lib. I. Tusc.
Quaest. p. m.
178.

et inuentum Deorum uocant. Praeterea dicimus, confundi ab *Obseruatore* modum, quo eam *Salomo* accepit, cum re ipsa. Immediate a DEO incredibilem Rex hausit sapientiam, nos mediate per naturam, institutionem et exercitationem, quanquam non omnis *δουσις Salomoni* sit deneganda. Nec illa mihi postea arridet uox, ubi *Obseruator* dicit, quod nostra sapientia ut plurimum sit tantum *ἐπίγειος, ψυχική ἔ δαίμονιάδης*. Valde uereor, ut haec in Boni Magistratus curam iniuriose dicta uideri possint. Hic namque operam dat sedulo, ut erudiendis pueris atque iuuenibus admo- ueantur homines pii, docti, sani. Et si uel maxime concedatur, minus sobrie quibusdam philosophandi rationes ab hoc illoue Magistro tradi, num propterea ipsi id Philosophiae, et non potius uitiosae applicatio- ni erit adscribendum? Ab hac autem ad illam argu- mentari non licebit.

§. VII.

Magis autem temere quam speciose deinde dicitur, nostram Philosophiam a Salomonaea differre *ratione materiae in qua*. Haec scilicet est *Obseruatoris* sententia, ut credat, *Salomonis* Philosophiam sedem fixam habuisse in corde, cum nostra e contrario in capite requiescere soleat, nec *Salomonem* quidpiam aliud a DEO requisuisse quam *לב שמע*, quum nos contra caput definitionibus, diuisionibus, axiomatibus, aliisque huius fursuris ineptiis obruamus. Sed liceat nobis statim bona *Obseruatoris* pace negare, *Salomonis* sapientiam tantum et immediate cordi eius infudisse. Nec uero ignoramus negamusue, a DEO sibi Regem expetiisse *לב*

§. VI. p. 335.

1. Reg. III, 9.

לב שמע, sed quid inde ? Num hinc ita argumentaberis : Ergo ipsius sapientia tantum in corde refedit ? Annon scire debebat, cuinam sit obediendum ? quibus modis obedientia praestetur ? Cognitio autem quorsum spectat ? Ponamus uero etiam, quorundam *Φιλοσοφίαν* in capite habere sedem fixam ; uera tamen est manetque sapientia. At negatur nostram Philosophiam in capite, quae *Observatoris Φράσις* est, solum requiescere, etiamsi probe notemus definitiones ac diuisiones, atque familiaria nobis reddamus huius illiusque argumenti axiomata. Laudanda est illorum Praeceptorum fides in iuuandis, promouendisque discere cupientium studiis, ui cuius isthaec tria eos momenta in unoquoque capite respicere iubent. Is quippe rem bene pleneque scire censendus est, cuiusuis definitionem, diuisionem et axiomata poscenti e uestigio exponere qui potuerit. Coecus autem sit oportet, qui non uideat, hanc *Observatoris* sententiam falso superstructam esse fundamento, quo docetur, initium ueram sapientiam sumere in uoluntate.

§. IIX.

Nec amplius *Observator* concedit, eodem nostram et Salomonaeam sapientiam gaudere *obiecto*, ubi §. VI, p. 336. putat, illam in ueritate et falsitate rerum eruenda cum primis occupari, hanc in bonitate et malitia detegenda solummodo districtam esse, additque, obiectum nostrae Philosophiae esse res uniuersales, Salomonaeae autem fuisse particulares et indiuiduas. At liceat mihi palam confiteri, *Observatorem* denuo hac obiectione non obscure Indifferentismi uirus disse-

difseminasse, cum Illius *πρώτον ψεύδος* fit in uoluntatis emendatione, utut antea intellectus non fuerit emendatus. Versatur autem nostra Philosophia cum circa intellectum, tum circa uoluntatem. Est enim illa, ut CICERO loquitur, *animi medicina*, cuius duae sunt facultates, quae morbo laborant, intellectus atque uoluntas. Cumque ille uerum ignoret, haec bonum fastidiat, contra hos morbos animae Philosophia parata est Medicina, Intellectui quidem in Speculatiua, quae illum perficit, et ab inscitia liberat, Voluntati in Practica, quae eandem in agendo dirigit, ne honestatis transfiliat limites. Ac proinde non nego, nostram Philosophiam in eruenda rerum ueritate et falsitate occupari: nec tamen is ego sum, qui credam, *Salomonem* hanc inuestigationem neglexisse. Bona autem uel mala hac de causa maxime ob oculos aliis posuit, quia Moralia omnium maxime inculcare uoluit, debuit. Neque uero, quod statim ad specialiora se demiserit, alia causa fuit, quam quod animum non induxerit suum, *Φυσιολογίαν* quandam oculis legentium sistere, quemadmodum illa hodie uulgo exhiberi solet.

Lib. III.
Tusc. Qu.
de Aegrit.
Len. p. m.
209. No. 6.

§. IX.

Porro nobis obuertitur, aliam Philosophiae Salomonaeae *formam* esse quam nostrae, sic ut illa tantum in praxi consistat, et nostrae disciplinae non re, sed nomine practicae sint, dum a principio ad finem usque, *Observatoris* uerba recito, otiosis speculationibus

B

bus

IO SALOMO A SCEPTICISMO VINDICATVS.

bus de uirtutum definitionibus, diuisionibus, axiomatis etc. refertae sunt et constipatae. Verum *Salomonem*, quae ad *περάξις* spectant, tantum tractasse, nego, ex instituto, data opera, praecipue, omniumque diligentissime, concedo. Nisi hoc mihi largiri uolueris, illud mihi, uelis nolisue, dare debueris, quod praestantiores *Salomone* extiterint Philosophi. Ne quid de eo addamus, quod *περάξις θεωρίαν* praesupponat. Adeo ne quidem ipsius Philosophiae Practicae praecepta in praxin deduci possent, illorum nisi haberes cognitionem. Ignoti nulla cupido. Quanquam autem in Philosophia Morali multa occurrant, quae ad Theoriam potius quam Praxin spectare uidentur: practica tamen sunt, quandoquidem non propter nudam cognitionem, sed fructuosam actionem

Confer. IO. considerantur. Ad reliqua nil attinet dicere praeter illud, quod τὸ ἐν ἀρχῇ petant, quando iterum Auctor abiecte et contemtim loquitur de definitionibus, quibus tamen uel nomina interpretamur, uel quid res sit, exponimus, et diuisionibus, quarum beneficio nunc ipsa uox ambigua in sua significata distinguitur, nunc quotuplex res sit, explicatur, et axiomatibus, quae uel propterea omnibus nota esse debent, quod cum primis ad pleniorum alicuius rei intelligentiam faciant, et a nemine facile in dubium uocentur. Ut quoque norim, non ab omnibus eundem, contra quem Auctor disputat, ordinem in tradenda Philosophia Practica, obseruari.

Confer. IO.
BAPT. HAMELIVS
Opp. Philoff.
Tom. II.
Praefat. in
Philos. Mor.

§. X.

§. III, p. 341.

Praeterea uero ex *Observatoris* sententia ratione
finis

SALOMO A SCEPTICISMO VINDICATVS. II

finis nostra Philosophia a Salomonaea itidem toto coelo est diuersa. Dicit namque, illius hunc esse, ut intellectum nostrum et uoluntatem perficiamus, huius autem, ut munus sibi demandatum recte obire et populum Iudaicum iuste iudicare posset. At uero meminisse debuerat Auctor, unius positionem non esse alterius negationem. Sique uerum est, quod nemo dubitat, exercitium demandati officii intellectus informationem praerequirere; proprio semetipsum gladio *Observator* iugulat. Videtur mihi insuper Auctor finem Philosophiae generatim consideratae cum fine Politices, qui est felicitas siue beatitudo ciuilis, confundere. Perspexit quodammodo huius rei *Observator* ueritatem; at nihilominus eidem occurrere uoluit, quando dixit, hanc explicationem non conspirare cum propriis principiis, qui quaeso nostra Philosophia felicitatem pro scopo habere possent, quae *Salomonis* iudicio nihil aliud sit quam ענין רע infelix negotium, in quo homines se occupare soleant. Nunquam autem ad hunc se locum *Observator* recepisset, si recte eundem inspexisset, uel considerare curatius uoluisset. Sermo est *Salomonis* non de Philosophia, sed de actionibus huic saeculo propriis. Atque hac de causa dicit, quod applicuerit animum suum ad disquirendum et explorandum sapientiam de omni eo, quod fit sub coelis, quodque ענין רע duram, molestam occupationem uocat. Quid? si propterea Philosophia reiicienda esset, quia hominum negotia in hoc mundo sunt infelicia, profecto nihil fere remaneret, quod non ex eadem ratione posset reiici.

Eccles. I, 3.

§. XI.

c. l. p. 340, 342.

Omnis autem, instat *Observator*, Philosophia extra lumen diuinum constituta constat יצר מחשבות ideis cogitationum, quae sicut sunt tantum malae omni tempore, ita ad felicitatem non magis quam graculus ad concentum fidium conferre possunt. Quis autem non uidet, in principio lumen naturae cum lumine gratiae ab Auctore confundi. Illud homini, si de eo quaeratur, ad salutem sufficere nego, hoc eum ad eandem perducere omnino largior. Ideis, quae sunt species ab intellectu de rebus formatae, nemo facile carere potest, qui aliquid apprehendere auet. Cum primis uero locus, ad quem respicitur, de malo Catholico, h. e. peccato originis, quod est fons omnium reliquorum malorum, agit. Ab inexistentia autem, ut ita loquar, P. O. ad Philosophiae negationem non licet concludere. Omnia in homine ratione boni spiritualis misere corrupta atque deprauata sunt, ipsaque DEI notitia naturalis ualde imperfecta est. Sed an hinc sequatur: E nulla datur notitia DEI naturalis, aut haec non est uera, hoc est quod negatur.

Vid. B. WAL
THERI
Spong. Mos.
P. 343. seqq.

§. XII.

§. IX, p. 342.

Hactenus id agere uoluit *Observator*, ut κατὰ θε-
σιν ostenderet, quid Salomonaeae sapientiae ratio
non fuerit: nunc κατὰ θεσιν, quid fuerit, per duo
Scripturae loca cum primis euincere studet. Se-
quemur, ut coepimus, Auctorem, et quam parum
in hoc quoque ratiocinandi genere Ipsius iudicio
tribu-

SALOMO A SCEPTICISMO VINDICATVS. 13

tribuendum sit, sine mora indicabimus. Adfer-
 tur itaque dictum, in quo, ut *Observator* putat, *Sa-* Eccles. VII,
lomo quasi confiteretur, se diligenti adhibita in- 28.
 quitione hoc unicum inuenisse confectarium; sci-
 licet suam animam eo minus inuenire, quo plus
 inquirat, hominemque simplicem a DEO esse con-
 ditum, sed Syllogismos inuestigare et uaria ratio-
 cinia. Sed qua ratione ex hoc loco *Salomonem*
 Scepticum fuisse demonstrari possit, intellectu per-
 quam difficile est, praesertim quum, ut jam an-
 tea eruditissimi Dnn. Auctores *der unschuldigen* Ad Obs. XIII.
Diabritem rectissime obseruarunt, nihil minus Tom. VIII.
 quam pyrrhonica dubitatio hic quoque tradatur. A. 1705. p. 185.
Salomo certe v. 28. dicit, hoc se inuenisse, mulierem
 impudicam esse malum, cum per longum tempus
 accuratoque studio uitio uitium, malo malum con-
 tulisset. Contra v. 29. negat, animam suam inue- Vid. B. GEL-
 nisse foeminam, quae mulieris castae probaeque ERVS ad h.l.
 nomen tueri possit, quae tamen, ut loqui amant,
 comparate, non absolute intelligenda sunt. Iam
 uero v. 30. respectum ad Creationem Protoplasto-
 rum habet, et omnino marem et foeminam nomi-
 ne אדם comprehendit. Hos igitur dicit Rex plu-
 rima quaesuisse ratiocinia, quanquam nihil obsta-
 re uideatur, quo minus etiam de tota Adami po-
 steritate affirmetur, eo quod in Adamo peccante
 fuimus, peccauimusque. Sed de hoc argumento
 uenerandi Theologi audiendi sunt, sic ut nos ad
 reliqua progredi oporteat, atque ea etiam expen-
 dere.

§. XIII.

Metaphr. et
Homil. in
Eccleſ. p. 300.

Dubium autem cuiusmodi forte suboriri poterat circa illa uerba, quibus *ratiocinia* quaesiuisse parentes nostri dicuntur, cum constet, ea illis non cogitantibus a Diabolo per serpentem excogitata esse oblata. Soluitur illud a THOMA CARTWRIGHTO, Anglo, hunc in modum, ut existimet, uoluisse *Salomonem* hoc ipso indicare, quam auide ab impuro Spiritu adhibitae fraudes a Protoplastis fuerint arreptae. Sed quid ad hoc dicemus, ubi adseritur, *plurima* eos quaesiuisse *ratiocinia*? Num quid scientiam nostram fugit, Historiam Sacram docere, duplici tantum ratione fuisse pellectos, quod crederent, corpori simul et animo utile esse, ex uetito fructu comedere? Eone confugiemus, ut dicamus, non cohaerere? Sciendum est, si CARTWRIGHTVM sequi uelimus, in his duabus rationibus multas comprehendi. Nam quod aperiri parentibus essent oculi, et ipsi DEO adsimilandi, multiplicem in se rationem continet. Putabat fore, ut DEO felicitate per omnia similes essent, non minus, quam ILLE, sapientes, potentes, honorati, omnique uirtute consummati. Corpus quod attinet, sibi persuadebant, fructum illum esse iucundum et suauem futurum. Quae ad hunc locum dicta sufficere possunt, cum ad *Observatoris* ille institutum, prorsus, ut nostri Theologi fusius docebunt, nil faciat.

§. XIV.

§ XIV.

Coniungitur ab *Observatore* cum dicto hoc iam explicato aliud, quod in eodem, ad quem antea prouocabatur, extat libro. Nimirum dicit, *Salomonem* applicuisse animum ad cognoscendam sapientiam et ad perspiciendum את הענין אשר נעשה — omnia laboriosa opera (uastissima Dogmaticorum Systemata) quae facta sunt super terram. Quaeque auctoribus non interdum solum, sed et noctu somnum ex oculis excutiunt. Quin perlustrasse omnes creaturas (adeoque in *δενδρολογία* sua processisse a Cedro usque ad hyssopum) sed animaduertisse, hominem non posse inuenire (clare et distincte cognoscere) creaturas, sub Sole. Et quamuis laboriose quaerat, non tamen asscutorum esse. Quin etiamsi sapientissimus cogitet se cognoscere, nihil tamen posse inuenire. Attamen ualde uereor, ut haec *Observatoris* *Ψευδερμενεία* ab omnibus recte sentientibus tolerari queat. Colligendum ex his ita dictis Auctori fuerat, quod sapientiae magnus merito impendi debeat labor. non tamen, qui sit nimius, quique a uero, possibili, scituque in primis necessario obiecto aberret. Hinc *Salomo* docet, quod insatiabili operum Maiestatis diuinae scrutatori res prorsus non ex animi sententia succedat, quia opera DEI peruestigari nequeunt. Etiamsi fatigetur quis uel ad fatigationem usque operose scrutetur in illis; non tamen ipsi penetrare dabitur. Magis certe rem magisque Rex confirmat, orationis incremento ualde conspicuum

c. 1. p. 342, 343.
Eccles. VIII,
16, 17.

Conf. B. VA-
RENIVS
Gemm. Sal.
p. 83, 84.
B. GEIERVS
in Eccles. ad
h. l.


dum utitur. Quod enim modo dixerat generatim de homine, id, ut omnem, qui cuiquam relictus esse uideri poterat, scrupulum animis legentium eximat prorsus, de nobilissimo quoque hominum ordine, Sapientibus, affirmat, sic ut omnino horum quoque laborem circa peruestigandas prouidentiae diuinae uias irritum pronunciet. His ita notatis quilibet, me non monente, uidet, nequaquam sequi: Nemo mortalium admiranda DEI opera perfecte cognoscere potest; Ergo ad nullam sapientiam peruenire potest; Ergo *Salomo* non fuit Philosophus.

§. XV.

Sicque, DEO uires largiente, *Salomonem*, Regem sapientissimum, ab eodem illiberaliter impugato Scepticismi crimine, ea, qua fieri potuit, breuitate, uindicauimus. Vident omnes boni facile, et ingenue mecum confitentur, hanc *Observatoris* aequae ac illorum, qui in Romana Ecclesia Protestantium Religionem ut Scepticam traducere non dubitarunt, multo falsissimam hypothesein omnino abominandam et prorsus proscribendam esse. Quod reliquum est, NUMEN aeternum praepotensque quaesumus et oramus, ut bonas artes literasque perpetuo florere iubeat, et quotidie excitet, qui iisdem faueant, inque scholis publicis ueram, sanam, sobriam Philosophiam aliis instillent, atque omnes, docentes pariter et discentes, ab impura Scepticismi labe liberos praestet atque immunes.

SOLI DEO GLORIA.

Vid. IO.
CLERICI
Biblioth. V.
nivers. et Hi-
stor. A. 1688.
Tom. IX. p.
105, 106, seqq.



Umg. VI 17

ULB Halle 3
002 114 550




sb

W 17 Z







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Black
Cyan	3/Color
Green	White
Yellow	Magenta
Red	Red
Magenta	Magenta
White	White
3/Color	3/Color
Black	Black

1h *67* *2. b.*
D. B. V.
MONEM
PTICISMO
ICATVM,
VSPICIIS
AGNIFICENTISSIMI,
CI AVGVSTI,
NCIPIS REGII SAX. HERED.
ONE POSTERIORE
RAESES
AD BOECKMANN,
EBVrgENSIS,
ET
SPONDENS
PETRVS VOGT,
GHVSA-FRANCVS,
PRIL. M D C C X.
L. Q. C.
M CENSVRAM OFFERVNT.
EMBERGAE,
ISTIANI GERDESII.

